



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

216. Sabbato. Beata Virgo refugium contra vitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

388 *Sabbato Dom. 6. post Pentecost.*

lia faciunt occupationes sacras relinquentes, & secularibus se tradentes.

10. Sifara inermi capite interijt: sic imprudentes impetuntur, juxta illud August. Epist. 82. *Initium sine providentia, & finem cum penitentia.*

MEDITATIO CCXVI.

Sabbato Domin. 6. post Pentecost.

B. Virgo Refugium contra vitia.

Aspiciam Divam à vitijs hâc hebdomadâ consideratis, & erroribus immunem, quia plenam gratiâ, in regno virtutum residentem. Petam ejus beneficio ab iisdem liberari.

Conf. 1. Quomodo vitia sint turpiora nihilo, quia multa vult Deus nunquam esse, quæ tamen, ut sint, velle potest: sed peccatum esse, non potest unquam velle: cum ergo vitium sit contrarium voluntati Dei, quæ est summa sanctitas, & pulchritudo, nõ est possibilis major deformitas, & turpitudine, quam sit vitij. Excandescam hîc contra fontes vitiorum hæctenus consideratos.

Conf. 2. Quomodo Diva ijs caruerit, quæ & fomite, & peccato originali libera semper extitit, adeoque fuit in regno rationis ejus pulchra semper tranquillitas, imperium mentis supra potentias inferiores imper-

curba-

Dominica 7. post Pentecosten. 389

turbatum, potentiarum inferiorum rationi sine repugnantia obediens vis, conformitas rationis ad nutum Dei, passionibus omnes, earumque actus fuerunt ut mare sine undis, & aer sine ventis, ut coelum sine nube, non motus in sensibus sine voluntate rationis, non ratio sine nutu divino, nulla tepiditas, nulla inanis gloria, procul omnis superbia, procul omnis error.

Conf. 3. Repetendo totius septimanæ proposita, præsertim, in quibus majorem difficultatem sentio. Petam à Diva gratiam executionis.

MEDITATIO CCXVII.

Dominica 7. post Pentecosten.

Cavendum à Sathana, adhaerendum Christo.

Videbo me ex castris Babylonæ, Luciferique tyrannide translatum ad castra Christi, Domini mei hereditarij. Petam ei gratus obsequi in omnibus.

Conf. 1. Quàm bene mihi præcipiatur, ut caveam à lupo infernali; propter falsitatem ejus, & nocendi appetitum: finis enim Sathanæ est, avertere nos à Deo: quod tripliciter agit, vel aperto conflictu Fideles persequendo, in carceres, & mortes mittendo: Vel occultè, idque vel per se, suggestionibus

R 3 suis,